Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2599
Quelle:
Copyright:



a Monasterio habente tot personas, quot de ejus bonis commode sustentari possunt, posse recipi Personam, quae de suis bonis voluntarie tantum offerat, quantum opus sit ad ejus sustentationem absque Monasterii gravamine, neque id Constitutionibus Pontificiis adversari. Hoc porro deinceps cum solutione argumentorum *Dionysii*, tum novis rationibus firmatur, reduciturque ad X. *Conclusiones* unumque *Correlarium*, quorum veritati chirographis suis sub finem adstipulantur Theologiae Professores *F. Petrus de noua ecclesia* O. Carm. *Arnoldus de cloetinghe*, *Bernardus de reyda*, *Gerardus de Monte*, *Jo. Tinctoris hospitalarius tornacen.* Legum doctor *Jacobus seger decanus ecclesie sancti georgij*, *F. henricus de Piro Carthusien. In colonia*, Decretorum doctores *henricus de Bemel* et *wilhelmus de leydis*, et Legum doctor *henricus rether*. Viros hos Academiae *Coloniensis* fuisse membra, totamque hanc controversiam *Coloniae* agitatam fuisse post medium Sec. XV. censeo; *Henricus* enim *de Piro*, qui hic contra Sodalem suum *Belgam* militavit, diem clausit a. 1473. De eo *Bibliotheca Belg. Foppenii* et *Coloniensis Harzbemii*. Prior etiam *Job. Tincto-ris*, altera *Henricum de Bemel* seu *Bomel* adtingit. De reliquis nihil reperio. Controversiae toti adjecta est eleganti manu *Bulla vrbani pape de symonia vitanda. Ne in vinea domini.* Datum *rome aput sanctum petrum secundo nonas Aprilis. Pontificatus nostri anno primo.* Lege *septimo*, qui fuit 1369. Extat Constitutio *Annal. Eccl. Odor. Raynaldi* T. XVI. p. 482.

IV. *fol.* 96. manu Sec. XIV. in membrana: *Tractatus de Interdicto.* Initium: *Quia per invencionem iurium censura ecclesiastica ad cobercendum malitias hominum superuenit* &c. Mox se prodit Autor: *Ideo ego frater. ch. hospitum postulacionibus quorundam annuens* &c. Incertum *Cherubinus*, an *Christophorus* &c. Tractatus ipse in *Particulas* VII. divisus est: *Primo qualiter interdictum describatur. Secundo qualiter sumatur. Tercio ob quas causas feratur. Quarto qui interdicere possint. Quinto quot sint species interdicti. Sexto que tempore interdicti permittantur. Septimo que eius tempore prohibeantur.* Ad calcem: *Datum oscubr* (fortasse Osnabr.) *anno domini M° CCC° XXXII° In octaua beatorum petri et pauli apostolorum.*

*Si cernis quanto studio sub temate tanto*
*Te rogo pro tanto lege fructus quos ego planto.*

V. *fol.* 104. manu Sec. XV. partim in membr. partim in charta: *Hec sunt scripta et determinata per venerabiles dominos doctores sacre Theologie ac vtriusque Iuris nominatim infra expressos.*

*super*